



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

II. Ex ea reliquae haereses & sectae proscriptae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

officina progressos libros euoluisse, sed vere & sancte affirmare posse, nihil in ijs firmi ac solidi, & in quo Christianam animam acquiescere possit; sed econtra mille blasphemias, conuicia, mendacia, falsæ & scurriliter dicta, collationem denique errorum & contradictionum reperisse. Ex quibus facile intelligi possit, Calvinistas non eodem duci spiritu. Sed de hac discordia eiusque effectibus latius infra. Constitutum enim mihi est, in quadam huius operis parte duas has religiones inter se componere ac comparare, quo intelligatur Calvinisticam ab illa ipsa damnatam ad quam originem suam refert.

IN HOC CAPITE AUCTOR INCIPIENTEM HÆRESEOS RUINAM DEMONSTRAT. Deinde de statu Imperij in Germania aliqua dicit.

## CAPUT XIII.

## ARGUMENTUM.

- I. Perperam Germaniam totam Lutheranam censeri.
- II. Ex ea reliqua hæreses & secta proscripse, excepta Augustana Confessione.
- III. Impostura Calvinistarum Germaniam à suis partibus stare affirmantium.
- IV. Reipublica & Statuum in Germania diuisio.
- V. Mos seu lex, de subditis in religione continendis.

I. **E**T hæcenus quidem originem hæreseos, eiusdemque apud septentrionales populos progressum enarrauimus: sequitur ut exponamus, quemadmodum eadem decrementum accipere cœperit. Ex cuius rei particulari descriptione, diuersarumque Prouinciarum, apud quas diuersarum Religionum Professio viget, enumeratione manifestum fiet, adhuc eam partem, quæ Catholicam fidem retinuit, fortiore esse, reliquasque quando liberit, posse sub iugum denuo mittere. Nam quidquid ab Ecclesia Romana secessionem fecit, eo ipso ab unitate corporis sub vno capite Christi in terris Vicario, recedens, necessario in varias partes dissectum, quasi humi repit, nihil aliud quotidie expectans, nisi talem saram tristemque suam ruinam & extremum interi-

tum dicente Domino: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Nec minus iniuste Galli Germaniam Lutheranam appellant, quam Galliam Calvinisticam Germani. Sed omnia hoc loco Gallia, propositum est mihi ab iniuria vindicare Germaniam: bellicosissimam profecto nationem, quæ pro Ecclesiæ incolumitate tot cruenta prælia iniuit, tot gloriosas victorias reportauit: quæque non modo armorum, sed & litterarum laude ceteras omnes Nationes prouocare non erubescat. Apparebit, quo pacto initio decimi septimi sæculi, ad quod post tot naufragia appulimus, in ijs locis, vbi eradica fuerat Religio Catholica, eadem regerminet atque reflorescat, non secus ac nouella arbor, quamuis ferro subinde accidatur, nouos tamen ramos producit. Videbimus, ea, quæ iam perijisse arbitrabamur, adhuc magna ex parte agnoscere summum Pontificem, Dei in terris Vicarium, adhuc patrum suorum Religionem sequi, adhuc Ecclesiæ Romanæ antiquis legibus regi, & non solum Hussij & Munceri veteres reliquias paulatim profligare, sed eum ijs etiam, qui Lutheri, Zuinglij & Caluini ductum sequuntur, certamen impigre suscipere.

II. Nam quod attinet ad ceteros hæreticos, qui ducta à Lutheranis origine, non aliter ac vipera quædam matres suas, à quibus concepta, in lucem edita, quarumque adeo lacte nutrita fuerant, tentauerunt suffocare; illis nullus iam in Germania, neque in Ciuitatibus Imperij, neque in ijs ditionibus, quæ Principum aliorum & particularium Dominorum imperio subsunt, locus per Imperij Constitutiones datur, vnde nec patere debet. Loquor autem de Anabaptistis, Antitrinitarijs & alijs id genus sectis. Hi enim in latissimis hisce prouincijs nusquam habent iure vbi tuto consistant, sed omnis generis persecutionibus sunt obnoxij. Quo fit, ut hæc sectæ cogantur, sese aliquò recipere in Poloniam aut Morauiam, aut Silesiam, item in Zelandiam & Baraniam, vbi eos Calvinistæ receperunt, & omni favore complexi sunt. Quod si etiam ab Austria Principibus alicubi tolerantur, non aliter id fit, quam quomodo etiam Iudæos patiuntur in ditionibus suis habitare, grauisissima enim tributa coguntur pendere, & de cetero viuunt tanquam mancipia: quoniam etiam politicis constitutionibus pœnæ ipsis per Magistratum inferendæ à Principibus decernuntur.

III. Restant ergo ibi Lutherani tantum, qui diuisi